

Tres inferiores aucti lumine à Sole recedunt,



Tres inferiores deficiente lumine ad Solem conuertuntur.

Auctus uel diminutus numero.

Arg. planetæ æquatum si fuerit	{ Minus } { Plus }	{ 6. signis. Hoc est, quando æquatio argumenti }	{ Additur medio motui } { Subtrahitur à medio motu }	{ dicitur }	{ Auctus } { Diminutus }	{ Numero }

Si autem argumentum æquatum planetæ fuerit præcisè 6, uel 12, signorum, tunc neq; auctus neq; diminutus, Sed æqualis numero dicitur.

An planeta Orientalis, Occidentalisue sit cognoscere. Canon X.

IN pagina dextræ chartæ ephemeridis, sub quinque planetarum characteribus, syllabæ Or. uel Occi. quæsitum ostendunt. Verum si aliter inuestigare uolueris, considera tres superiores, Saturnum, Iouem, & Martem, qui à coniunctione eorum cum Sole usq; ad oppositionem eorum Orientales; ab oppositione uerò cum Sole iterum ad coniunctionem eorum Occidentales appellantur. Venus autem & Mercurius quamdiu Solē occidentem insequuntur, Occidentales, Dum autem manē Solē antecedunt, Orientales dicuntur. Luna autē à nouilunio ad pleniluniū usq; Occidentalis, à plenilunio ad coniunctionem iterum Orientalis nominari meretur. Vel aliter: Orientalis dicitur planeta, quando matutino tempore, ante Solis ortum apparet supra terram, Occidentalis uero, quando uesperis post Solis occasum apparuerit supra terram.

F iij An